HAERESES

GENERATIM CONSIDERATAE

IN QUAM REM SIBI INVICEM CONVENIANT

ET

AD QUEM FINEM PERDUCANT

DISSERTATIO

DOMINICI ZARPELLON



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCLXIV

664

D. Zarpellon cur.

ANIMADVERTIMUS

Sciscitanti, quid inter se commune habeant haereses, haec statim responsio occurrit, eas auctoritatem Ecclesiae omnes rejicere. Scimus enim, haeresim graece *ab electione* dici; *quod scilicet eam sibi unusquisque eligat disciplinam, quam putat esse meliorem.* (Decret. 24. *q.* 3. *ap.* S. Th. 22 *q.* XI. *a.* 1.) Scimus Melchiorem Canum ita scripsisse: *Haereticis omnibus hoc gentile est, simul atque sese Ecclesiae auctoritate urgeri vident, aut illam spernere, aut Ecclesiae rem ad se nomenque transferre, et eam in illis esse negare, in quibus revera est* (L. IV. c. 1.). Scimus denique, recentiores praesertim haereses quamcumque auctoritatem sprevisse. Verum haec dissertatio eo tendit, ut probemus, haereses generatim consideratas, praeterquamquod ex sua natura ecclesiasticae auctoritati detrectant, in aliquam aliam rem sibi invicem convenire.

« *Nulla tam remota regio, aut tam munitus locus, nullus Christianae Reipublicae angulus inveniri potest, quo haec pestis (haeresis) occulte irrepere non tentarit* ».

Catech. Rom. praef. 5.

Jure definitur historia a Cicerone *testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis* (1). Jure eam adjutricem providentiae, sacerdotem veritatis, matremque philosophiae Diodorus Siculus appellat (2). Ea enim praeterita revolvens tempora, hominum facta recenset ex ordine, varia ac diversa monumenta interrogat, antiquarum urbium maceries scrutatur, et manu facem sustollens, populorum, qui jamdiu exstiterunt, mores describit; quidquid elapsa aetate evenerit, per novam quasi imaginem fingit, et ob oculos ponit. Sed, si recte sentiamus, quanto simplicem historiam Ecclesiastica historia antecellit! Haec quippe spiritualem hominis vitam respicit, catholicae veritatis diffusionem considerat, Christiadum acta ordinate describit, et docet quomodo Ecclesia Christi percreverit, quos hostes devicerit, quibus potissimum viribus adversus daemonis conatus et fallacias restiterit, quamque

(1) II. *de Orat.* 36.
(2) Ap. Alzog *Stor. della Chiesa.* I. § 15

potenter omnes populos tandem aliquando fuerit amplexata. *Victoriae sanguinolentae*, sic Eusebius Ecclesiasticae Historiae pater, *belli tropaea, praeclara ducum facinora, virtus militum, qui cruore et caede faedantur ut filios et patriam defendant, haec historici profani sunt argumenta. At vero historia regni Dei perennia monumenta pro pacificis praeliis extollit; virtus enim potius pro veritate quam pro patria, prius pro religione quam pro parentibus demonstratur!* (1). Quapropter, quanta sit Ecclesiasticae historiae utilitas, quanta exinde jucunditas percipiatur, per se quisque facile videt.

Verum non omnis historiae evolvendae methodus aeque prodest. Potest enim historicus mirabiles fidei progressus, et disciplinam Ecclesiae, et Conciliorum decreta, et persecutionum atque haeresum varietatem, aut seorsim aut simul collecta et juxta temporum diversitatem digesta pertingere; sed majorem profecto ex hac rerum pertractatione fructum percipiet, si nexum quo singulae colligantur, et quodammodo spiritum quo existunt attente perpendat. Quod quidem circa haereses aggredior brevi hac dissertatione, quae sit veluti fusioris tractatus specimen et compendium.

Cum primum hominibus ab umbra mortis ereptis intemerata Christi fides illuxit, atque Ecclesia fuit

(1) *Hist. Eccl. l.* V. *Praefat.* (ap. Alzog *ibid.*).

constituta, haereses permultae sub variis formis et nominibus hinc inde exortae sunt, quae dum tenebras veritati offundere atque mirabile Dei opus labefactare aggrederentur, luculentissimo caelestem doctrinam testimonio confirmarunt. Siquidem hoc Apostolus dixit: « *Oportet et haereses esse* (1). Verumtamen, ait Christus, *caelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt* » (2). De iis autem qui Sapientiae dictis detrectare ausi sunt, deque vanis eorum conatibus haec habemus in Epistola D. Judae (3). « *Nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur: arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae: fluctus feri maris, despumantes suas confusiones; sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeternum* ». Itaque, si veritas in aeternum manet, haereses propria imbecillitate deficiunt. Ut enim « *regnum in seipsum divisum desolabitur* » (4), sic doctrina veritati adversa, atque a privato hominis sensu deducta suapte natura corruat necesse est.

Quod quidem patet ex historia. Ut enim caetera omittamus exempla, teterrimas Arianorum artes in mentem revocemus. Nonnulli Divinam Christi naturam inficiari coeperunt. Hinc Ecclesiae pastores in blasphemos insurgere, hinc sanctorum et doctissimorum Patrum coetus convocare, ac trepidanti

(1) I. *Cor.* XI. 19.
(2) Matth. XXIV. 35.
(3) Jud. *vv.* 12, 13.
(4) Matth. XII. 25, Luc. XI. 17.

Christiano gregi unam et constantem fidei regulam proponere. Quid haeretici? Aut multis tergiversationibus in conspectum Concilii prodire renuebant, aut ridiculas causas praetexentes ad novi ac frequentioris Concilii sententiam appellabant; saepius vocabula quaedam vel sententias immutare satagebant; quin etiam, tribus Synodis Sirmii collectis, tres proinde diversas fidei regulas effingebant, quarum prima (an. 351.) licet Photinum damnaret, de fide tamen Nicaena ne verbum quidem habebat; altera (an. 357.) per Ursacium, Valentem, Germinium et Potamium conflata Filium Patri *consubstantialem* esse negabat; tertia (an. 359.) per Basilium Ancyranum composita Filium ὁμοιούσιον tantummodo, sive similem Patri in substantia indicabat (1). Praeterquamquod, ut confusis hominum linguis hac illac diversi populi dispersi sunt, ita cônculcata catholica veritate unitatem confusio subvertit; atque adeo alii *Aetiani, Eunomiani, Anomaei;* alii *Semi-ariani;* alii demum *Acaciani* appellati sunt. En quid profecerit eorum dementia, qui haeretica placita disseminarunt.

Verum perpauci animadvertunt, in singulis haeresum formis aliquid esse commune cum caeteris, omnes uno eodemque spiritu generatim exagitari, ad unum eumdemque finem omnes perducere. Id exquirendum suscipimus. Quod ut facilius assequamur, tum ex quibusdam principiis, tum ex historia documenta sumimus.

(1) Priori formulae subscripsit Liberius, sicui Sirmiensi formulae subscripsit. V. Salzano, *Corso di Stor. Eccles. l.* VI. *n.* 13.

Deus est necessarium principium earum rerum omnium quae exsistunt, nihil est nisi per illum, omnia illius et ab illo sunt; nulla tamen res, praeter Deum, est Deus. Ea omnia quae exsistunt, quaeque sensibus perspicimus, ex una parte ad Deum rationem habent, ex alia omnino a Deo distinguenda sunt. In hujusmodi mysterio omnium mysteriorum causa et ratio est; atque ex falsa ejus consideratione omnes humani spiritus aberrationes orsum habent. In eo siquidem errat humana mens, ut contingentia perinde ac infiniti formas vel phantasmata reputans, nihil praeter infinitum admittat; aut rerum exsistentiam et adjuncta simpliciter considerans, necessarii principii omnino obliviscatur. *Finitum ab infinito,* vel *infinitum a finito absorptum:* ecce duo contraria, in quae mortalium mens labitur; inde Pantheismus sive *idealis,* ut ajunt, sive *materialis* (1).

Ad ejus historiam quod attinet, Orientales sectas huic insaniae plus minusve indulsisse ostendunt eruditi, non exclusis gentibus quae revelationis lumine atque ope carerent (2). Postquam autem *lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* (3), universum mortalium genus e tenebrarum potestate eripuit, in cunctis haeresibus, quae sibi

(1) V. Nicolas, *Del protestantismo.* C. III.

(2) Absurdum hoc systema a Xenophane traditum esse videtur, qui pronuntiatum illud *ex nihilo nihil fit* falso interpretatus rerum creationem e medio sustulit, nec nisi unicam substantiam, eamque infinitam, aeternam admisit. V. De-Giorgio T. II. *pag.* 153.

(3) Jo. I. 9.

invicem successerunt, idem error generatim insitus fuit. Sola Christi Ecclesia hujus problematis solutionem servat ac possidet, absolutae nempe distinctionis infiniti a finito, supernaturalis a naturali, divini ab humano; quae distinctio si desit, nullum societatis vinculum, nullus rerum ordo consistere potest.

Si attente consideremus, in Creationis historia elucet distinctio illa infiniti a finito, aeterni a creato. Impossibile est hujusmodi terminos una simul confundere: *Creavit Deus caelum et terram* (1). Non latuit Hebraeos hujusce distinctionis necessitas, ut quum celeberrima Machabaeorum mater ita filium hortatur: « *Peto, nate, ut aspicias ad caelum et terram, et ad omnia quae in eis sunt: et intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, et hominum genus* » (2).

Nec minus in tota Hebraeorum historia haec distinctio innotescit, ubi Dei omnipotentia tot beneficia conferre, tot prodigia operari deprehenditur, liberam tamen hominis voluntatem in tuto relinquens. Atque hac potissimum de causa populus ille caeteris populis eminuit, qui praedura fatorum lege tum vitam tum actus hominis obstringi credebant, atque hinc vitiis et erroribus universis aditum dabant.

Sed infiniti cum finito conjunctio non levioris momenti est. Namque dum oportet unum ab alio di-

(1) Gen. I. 1.
(2) II. Mac. VII. 28.

stinguere, unum ad aliud ultro tendere constat. Atque in his duobus apte componendis humanae mentis sapientia consistit, scilicet ut finitum inter et infinitum distinctio sine separatione, et sine confusione conjunctio habeatur. Jam vero in antiqua lege si magis distinctio effulget, conjunctio illa minime excluditur. Hanc enim promissionem comperimus in illis Jeremiae verbis: « *Ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus* (1). Quo autem pacto hujusmodi conjunctio perficitur? Id innotescit ex Isaiae vaticinio: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel* (2). Vel ex nomine illius, qui mittendus est, infiniti cum finito, sive Dei cum homine conjunctio indicatur: *Emmanuel* enim idem est ac *Deus cum nobis*. Quod si praedicta magni problematis solutio requiritur, ea consideranda sunt quae sub initium Evangelii sui D. Joannes disserit: *Deus erat Verbum... omnia per ipsum facta sunt. ... Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (3). Creationem primum commemorat, ac dein loquitur de Verbi Dei Incarnatione. Infinitum designat cum Divinam Verbi Substantiam nominat; finitum vero innuit, quum ait: *habitavit in nobis*. Infiniti denique cum finito conjunctionem factam demonstrat, cum subdit: *Verbum caro factum est.*

Haec porro divini et humani, infiniti et finiti

(1) Jerem. VII. 23.
(2) Is. VII. 14.
(3) Jo. I.

conjunctio antiquis patribus promissa et in plenitudine temporum perfecta summum illud et admirabile Mysterium constituit, quo Deus misericordiae suae magnitudinem patefecit, per quod ab exsilio ad patriam, a peccato ad justitiam, a morte ad vitam revocati sumus; illud, inquam, mysterium quod plurimorum Christianorum Dogmatum fons est, quod a Graecis Patribus Σάρκωσις, a Latinis *Incarnatio* appellatur (1).

Hanc doctrinam, quae totam Christianae Revelationis oeconomiam complectitur, Ecclesia paullatim exposuit, atque adeo fidelium cordibus infixit, ut nulla inde vi eradicari possit. Quo magis haeretici conati sunt absona et impia de Christo loqui, et nugis mentes hominum fallere, eo acrius institit Ecclesia docere, duas esse in Jesu Christo distinctas naturas, divinam nempe et humanam; Christum Dei Filium consubstantialem Deo esse, et ipsum Deum, eumdemque Mariae Filium homini consubstantialem, et ipsum hominem, Deum verum et hominem verum; duas vero naturas ita conjunctas esse, ut unam personam constituant. Sed operae pretium est videre, qua pervicacia in hujusmodi doctrinam nefarii homines insurrexerint, et exinde concludendum nobis erit, haereses generatim consideratas, in id omnes vel fere omnes convenisse, ut sanctissimae Incarnationis dogmati detraherent, et ipsum, si fieri posset, aliquando everterent.

(1) Trivellato. *Enchir. de Verbi Incarnat. praef.*

Haeresum historia in plures periodos dividi potest. Aliae enim ab iis exortae sunt, qui nondum in Ecclesiae gremium recepti fuerant, quique Judaeorum, Gentilium, Christianorum doctrinas simul commiscere ausi sunt (1). Aliae post persecutionum tempora invaluere, quum veritatis impugnatores praecipua fidei dogmata discutere atque e medio tollere susceperunt (2). Aliae ex rationis abusu originem duxerunt, quum theologia scholastica late suos ramos diffundente, variae et diuturnae speculationes doctorum spiritum exercerent (3). Denique aliae grassatae sunt recentiori aevo, quum fallacis Innovationis principium omnem ipsius Ecclesiae auctoritatem rejiceret (4).

Ac, ut de prioris periodi haeresibus dicamus, plerique historici primum inter haereticos Simonem Magum recensent, qui judicavit Spiritus Sancti dona posse pecunia obtineri. Multis erroribus irretitus, ob id potissimum reprobandus exstitit, quod se Deum Judaeorum legislatorem, et mundi Reparatorem, et Paracletum quoque jactaret (5). Christum nec venisse, nec a Judaeis quidquam pertulisse effutiebat (6).

(1) *Indo-Hellenicae* a cl. Nicolas l. c. vocatae sunt.

(2) *Dogmaticas* id. Nic. appellavit.

(3) Has cit. Nic. *Scholasticas* nuncupari voluit.

(4) *Protestantismi* et *Rationalismi* nominibus eas complecti possumus.

(5) S. Iren. *adv. haer. l.* v. *c.* 20.

(6) S. Aug. *lib. de haer. ad Quodvultdeum c.* I.

Quid ultra? Divinos affectavit honores, aut saltem accepit a superstitiosis Romanis; dignus propterea, qui dum äera petebat, nomine Jesu ab Apostolis pronuntiato, in terram corrueret (1).

Cerinthus, qui, viventibus adhuc Apostolis, impia in Deum creatorem commentus est, quique mille annorum regni doctrinam invexit, divinam Christi naturam ab humana docuit sejungendam, aut duas potius in Christo personas professus est, eo quod Christus (ille ajebat) in Jesum descendit, quum in Jordane baptizaretur, abiitque quum Jesus interiit (2).

Pari insania ferebatur Menander Simonis conterraneus et discipulus, qui perpetuam juventam asseclis suis pollicitus, se missum a Deo in animarum salutem asseruit, ac propterea nescio an clarius Verbi Incarnationem negare potuerit (3). Ejus discipuli Saturninus et Basilides fuerunt, quorum alter Christum quidem Dei Filium confessus est, sed eum fictum corpus sumpsisse dixit, ac tantummodo per

(1) Hujus rei testimonio est statua illa, quam Simoni positam cum hoc titulo: *Simoni Deo Sancto* Eusebius, Cyrillus, et Justinus asserunt. Quod si anno 1574. statua quaedam inventa est sic inscripta: *Semnoni Sango Deo Fidio sacrum* (Alzog I. § 39.), nihil obstat quominus prior illa statua Simoni Mago fuerit dicata. Neque enim credimus S. Justinum (*Apol.* I. 26.) tam facile errasse. Cf. Salzano *Corso di St. Eccl. l.* II. 10. *prop.* 2. et cl. Mozzoni *Tav. Cronol. sec.* I. *n.* 81.

(2) Quaestionem moverat de Circumcisione ac caeteris Legis Mosaicae caeremoniis adhibendis. V. S. Epiph. *haer.* 28, et Philastr. l. de Haeres. in *Cerintho.*

(3) S. Iren. *adv. haer. l.* III. *c.* 18. 21. — Alzog I. § 59. S. Justinus. *Ap.* I. *c.* 26.

imaginem in cruce obiisse. Alter vero adjecit, pro Christo Simonem Cyrenaeum fuisse crucifixum (1). Ecquis non videat in quam rem istiusmodi haereses sibi invicem conveniant? Ii, quos memoravimus, profecto *Christomachi* vocandi sunt (2). Quod si consideremus eosdem circa mundi creationem tam nova tamque impia placita protulisse, haud dubitare poterimus, quin eos Pantheismi semina jecisse dicamus (3).

Sive ab Ebione eorum capite et magistro, sive a paupertate quam prae se ferebant, Ebionitae suum sibi nomen sortiti sunt. D. Paulum oderunt quia Christi Evangelium Mosaicae legi sufficiendum docuit, et Christum juxta ordinarias naturae leges a Josepho et Maria generatum blasphemarunt. Impuros Nicolaitas, de quibus Apoc. II. 6. mentionem facit, partim cum Cerintho, partim cum Gnosticis sensisse tradidit Irenaeus (4). Nec deest qui aperte scripserit, eos Jesu Christi divinitatem καθ᾽ ὑπόστασιν negasse, quum dicerent Deum solummodo in eo habitasse (5).

(1) Natal. Alex. *Saec.* I. *c.* XI. *art.* 3. et 4.

(2) S. Athanasius (*lib. de decret. Synodi Nic.*) eos tali nomine appellat, qui circa naturas aut personam Christi errarunt.

(3) De angelorum creatione juxta Basilid. V. Berti. *Brev. Hist. Eccl.* saec. I. c. III., et Nat. Alex. *saec.* I. *c.* XI. *art.* 1. 2. Alzog Saturninum inter Gnosticos Syros, Basilidem vero inter Gnosticos Ægyptios recenset. De *Abrasax* Basilidis v. etiam Moreri. *Grand diction.*

(4) *Contr. haer.* I. 26. - III. 11.

(5) Grossi. *Catal. eret.* 7.

Certe, ut Incarnationis mysterium defenderet, in Cerinthum, Ebionitas et Nicolaitas arma sumpsit D. Joannes Evangelista; quare in Evangelii sui c. XX. v. 31. dixit: *Haec autem scripta sunt, ut credatis quia Jesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Quemadmodum et Divus Paulus Hymenaeum et Philetum retundere aggressus est (1).

Gnostici, qui a γνώσει sive *scientia* speciosum sibi nomen indidere, altero Christiani nominis saeculo invaluerunt. Quid in Christum reapse garrierint, ex S. Epiphanio (haer. 26.) constat, qui hujus nefariae sectae arcana a mulieribus didicit, quae illum ad haeresim pertrahere conatae sunt. Negabant Christum de Maria fuisse natum, sed potius per Mariam ostensum asserebant, utpote qui carnem haud aliter quam specie susceperit. Acerbissimum in Christum bellum eos intulisse per flagitia omnigena liquet ex calumniis et persecutionibus, quibus Christifideles propter illos obnoxii fuere. Quod quidem notat S. Irenaeus, quum dicit: *Ipsi ad detractionem divini nominis et Ecclesiae, quemadmodum et Gentes, a Satana praemissi sunt, uti secundum alium et alium modum, quae sunt illorum audientes homines et putantes nos tales esse, avertant aures suas a praeconio veritatis;*

(1) S. Iren. l. c. – Alzog I. § 60. – II. Tim. II. 17. *Sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus et Hymenaeus et Philetus*, etc. Hos inter Gnosticos et Simonianos a D. Paulo recenseri ait cl. Martini in h. l. Sed patet eos Resurrectionis dogma negasse.

aut ut videntes quae sunt illorum, omnes nos blasphement, in nullo eis communicantes, neque in doctrina, neque in moribus, neque in quotidiana conversatione (1).

Obscenum hoc agmen Carpocrates ducit, qui Jesum ex Joseph et Maria caeterorum hominum more natum esse ajebat, atque ideo divinam ejus naturam diffitebatur. Doctrinam quoque Creationis subvertit, quum res corporeas a quibusdam Angelis conditas esse assereret (2). Docuit Pithagorae, Platonis, et Christi animas in terrestri apparitione divina essentia familiariter uti (Alzog I. § 72.).

Porro Gnosticorum doctrinam a dogmate Incarnationis omnino abhorrentem videamus. Philonis principio insistentes, Deum esse absconditum atque adeo dissitum a mundo, ut illum nequeat omnino pertingere; emanationes quasdam, et longam divinorum spirituum seriem, qui αἰῶνες dicerentur, inducebant. Non ignorasse videntur Reparationis nostrae doctrinam; aeonem namque credunt caeteris excellentiorem, qui spiritum a terrenis vinculis liberet, et divinum spiritum ab ὕλη sive materia extricet, ita tamen ut hominis vires in hoc partem habeant (3).

(1) *Contr. haer.* I. 25. V. Nat. Alex. *saec.* II. *c.* III. *art.* 3.

(2) ἄγγελοι κοσμοποιοί (*angeli mundi conditores*) Euseb. *Hist Eccl.* l. 4. c. 7. – S. Epiph. *haer.* 27. – S. Iren. I. 26.

(3) « Standenmaier ha dimostrato, che la dottrina degli eretici dei primi secoli, del medio evo e della filosofia moderna, sopra il *Logos* divino, non è che lo sviluppo logico della *contemplazione di Filone*, e che lo stesso Strauss, nella vita di Gesù, non fa che ripetere le parole di Filone. » Alzog I. § 71.

Quid ego de singulis Gnosticorum magistris tam brevi perstrictus sermone dicam? Satis sit Valentinum ejusque discipulos cognovisse.

Ut triginta Æonas, eorumque *ogdoades*, et *decades*, et *dodecades* et *pleroma* silentio praeteream, haec sunt Valentini de Jesu Christo sententiae: Ex cunctis aeonibus perfectum pleromatis, idest universitatis fructum editum fuisse, scilicet *Jesum*, eodemque tempore ejusdem generis angelos productos: *Enthymesin* sive *cogitationem*, informem *Sapientiae* partum, fuisse a *Termino* cruci affixam: *Unigenitum*, *Patris* voluntate, ad aeonum securitatem et constitutionem produxisse *Christum* et *Spiritum Sanctum*: Christum corpus de caelo detulisse, ac veluti aquam per fistulam, transiisse per Mariam Virginem: *Per Virginem*, scilicet, *non ex Virgine editum: quia delatus in Virginem transmeatorio potius quam generatorio more processerit, per ipsam, non ex ipsa; non matrem eam, sed viam passus* (1).

Jam vero ex iis aliisque fabulis, quibus Valentiniana doctrina scatet, videre est quanta vi sanctissimum Incarnationis dogma hujusmodi haeretici adorti sint. Quod si deliramenta adjiciamus, quae de mundi, angelorum et hominum origine commenti sunt illud S. Pauli usurpantes: *In omnes generationes saeculi saeculorum* (2), ecquis non videat, Gnosti-

(1) Tertull. *adv. Valentinianos* c. 27. V. et S. Epiph. *haer.* 31. – S. Iren. *adv. haer.* I. 1. – Nat. Alex. *Saec.* II. *c.* III. *art.* 6. – et Tertull. toto libro cit.

(2) *Ephes.* III. 21. *αἰὼν saeculum* significat.

cos Dei unionem cum humana natura, et distinctionem Dei a natura creata penitus evertisse? Omitto de aliis haereticis, qui ex Valentini schola prodiere, ultra disserere; de Secundo nempe, a quo *Secundiani*, de Ptolomaeo, a quo *Ptolomaitae*, de Marco turpium *Marcosiorum* parente, qui hac formula initiatos baptizabant: *In nomine ignoti rerum universarum Parentis, et Veritatis omnium procreatricis, et Illius qui e coelo in Jesum delapsus est* (1); de Colorbaso, qui summum universorum parentem *hominem* esse effutiit, et idcirco Salvatorem consuevisse se Filium hominis appellare (2); de *Ophitis*, quorum alii serpentem venerabantur, alii initiatos compellebant Christum maledictis impetere; *de Archonticis*, *Cajanis*, *Helcesaitis* aliisque nominis obscurioris, qui variis et probrosis sententiis dogmata Creationis et Incarnationis lacessere non dubitarunt (3). Satis credo ex iis quae diximus comprobatum, Gnosticos omnes in dogmate Incarnationis refellendo sibi convenisse, atque viam ad Pantheismi voraginem aperuisse.

Apud Salzanum commemoratos invenio haereticos, qui dum Gnosticorum placita contundere aggre-

(1) Nat. Alex. l. c. ubi ostendit eos hanc formulam non adhibuisse Catholico sensu, sed per fraudem, ut animas sensim deciperent, quemadmodum notavit S. Iren. *adv. haer.* III. 15.

(2) S. Iren. I. 12. 13.

(3) Bardesanes quoque docuit, Christo caeleste corpus fuisse. Helxai vero effutiebat, Christi virtutem in viribus et magnitudine corporis consistere.

derentur, in alios errores lapsi sunt. Sed miror quod hic historicus, ceteroquin accuratus, Cerdonem et Marcionem inter Gnosticorum adversarios recensuerit (1). Æones enim Valentinianos hi quoque credebant, licet per affectatam vitae austeritatem Gnosticorum luxuriae obsistere viderentur. Eos Alzog adnumerat Gnosticis Syris *formae Judaico-Persae;* queis et *Encratitas* Tatiani discipulos ab Eucharistia abhorrentes adscribit, necnon Hermogenem, qui catholicam doctrinam de mundi creatione et Gnosticas emanationes pari ardore damnabat. — Cerdo autem asserebat Deum a Lege et Prophetis praedicatum non esse patrem Domini nostri Jesu Christi; Christum vero nec Maria genitum esse, nec verum corpus induisse. Quid Marcion? Binos Christos admisit, et, nescio quo pacto, subdit Christum speciem tantummodo corporis habuisse, ita ut Tertullianus insurgat: ***Desinat nunc haereticus a Judaeo, aspis (quod ajunt) a vipera mutuari venenum. Evomat jam hinc proprii ingenii virus, phantasma vindicans Christum*** (2).

Theodotum Trapezitam *Melchisedechianorum ducem*, Theodotum Coriarium, Artemonem aliosque praetereamus, quos Incarnationis dogmati infensos

(1) *Corso di Stor. Eccl.* l. 4. n. 4. Postea auctor infelicem exitum pugnae designat. Sicuti haeretici diversi nominis in aliquibus sibi invicem conveniebant, ideo in eorum recensione variant historici. Quod quidem pluries adnotatum vellem. V. Alzog I. § 72. B).

(2) Tertull. *adv. Marc.* III. 7. — Idem, paucis immutatis, dogmatizavit Apelles circa an. 190.

deprehendimus, ut nonnulla de *Montanistis* et *Manichaeis* dicamus.

Sacramenta perhibebantur habere funesta Montanistae, inquit Natalis ab Alexandro (1), *et de infantis anniculi sanguine, quem minutis punctionum vulneribus de ejus corpore extorquebant, cum farina mixto panem conficere et Eucharistiam offerre.* Igitur saltem ex hac parte Christo in animarum salutem hominibus conjuncto injuriam gravissimam irrogabant. Sed nonne Montanista fuit Praxeas, qui *Patripassianorum* sectam instituit, eorum scilicet, qui ajebant Patrem descendisse in uterum Virginis, et crucis patibulum subiisse (2)? Nonne ex hac schola dimanarunt et Beryllus ausus asserere, Dominum antequam inter homines versaretur, non substitisse in propriae differentia Personae (3); et Noetus, qui Christum eumdem esse ac Patrem et Spiritum Sanctum dogmatizavit; et Sabellius, qui tres divinas Personas in unam hypostasin, tamquam tres appellationes convenire somniavit; et Paulus ipse Samosatensis, quem renovasse haeresim Artemonis et Theodoti Coriarii Eusebius affirmat (4)?

Montanistis adversi sunt illi, qui, ut *illuminatos* impugnarent, quodcumque donum spirituale illis ne-

(1) *Saec.* II. *c.* III. *art.* 8.

(2) Alzog Praxeam Montanistis adversarium dicit T. I. § 75; et revera Tertullianus librum edidit in Praxeam. Non desunt tamen qui Praxeam unum dicant de Montanistis. V. Berti *saec.* III. Grossi *n.* 21. et alios.

(3) Euseb. l. v. c. 33.

(4) Ibid. c. 28. V. plura apud Alzog *l. c.*

gabant, et Evangelium atque Apocalypsin S. Joannis rejicientes, divinam quoque Christi naturam abjurabant, quare dicti sunt ab Epiphanio *Alogi* (1). Idcirco et isti et Montanistae in denegando Incarnationis dogmate generatim conveniunt.

Modo de Manichaeis. Originem atque vicissitudines hujus haereseos si persequi velim, eo facilius elucerct, eam acerrimum atque diuturnum bellum Christo Deo vero et homini vero intulisse. Duo principia, lucem nempe ac tenebras Manichaei profitentur, successivis generationibus manifestata, ab aeterno quidem exsistentia, sed semper sibi invicem adversa. De elementis, de mundi principiis, de Adami et Evae creatione, de duplici hominum anima, heu! quot absurda adstruebant Religioni et sanae rationi repugnantia! Quid vero ab iis de Jesu Christo disceptantibus fuerat exspectandum? Docebant Christum non fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus prae se tulisse, ut non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur (2). Eousque dementiae productum est Manichaeorum delirium, ut dicerent, Christum serpentem fuisse, qui protoparentibus per esum pomi scientiam boni et mali infuderit. Insuper commenti sunt Christum primam sedem in sole habuisse, quare *Deum solarem* illum appellant; dein in res omnes tali pacto

(1) V. et S. Iren. *adv. haer.* III. 11.

(2) S. Aug. l. *de haeres. c.* 46. S. Epiph. *haer.* 66. et alii, quos citat Nat. Alex. *Hist. Eccl. saec.* III. *c.* III.

diffusum, ut in omnibus herbis et arboribus esset. Praeterea, eum, quem dicunt *Jesum patibilem*, gigni ex Spiritu Sancto et terra (1). Denique Trinitatis mysterium ita explicant, ut Christus et Spiritus Sanctus emanationes sint divinae naturae ad mundi malum impugnandum congenitae. Ab uno disce omnes. Faustus enim Manichaeus ita loquitur: *Sub tribus nominibus colendus est nobis Deus; ut Pater in suprema luce, ut Christus in luce visibili (quae est vis in sole, in luna sapientia), ut Spiritus in aethere puro. Hoc pacto perfici oportet lucis liberationem, post quam erit finis mundi* (2). Verum mittamus haec omnia. Satis constat Manichaeos inter inimicos Jesu Christi audacissimos omnium exstitisse (3).

Hic Origenem quoque commemoratum volumus, quem alii, ut Eusebius Caesareensis et Rufinus Aquilejensis, defendunt; alii, ut Theophilus Alexandrinus, S. Hieronymus, S. Epiphanius, condemnant. Antea strenuus fidei assertor, ac Arabum, Berilli et Ambrosii Valentiniani haereticorum profligator, ipse in quosdam errores miserrime incidit. Ut attingamus quod ad nostram rem facit, Origenes autumavit Chri–

(1) V. Alzog I. § 73.

(2) Ibid. et S. Aug. l. 20. *contra Faustum c.* XI. – V. insuper S. Aug. libros *de morib. Ecclesiae Cath. et de mor. manich., contra Fortun. Manich., contra Adim.* etc.

(3) Octavo Christiani nominis saeculo *Albanenses* exstiterunt, qui in pluribus cum Manichaeis consentiebant. XII. vero saec. Patarini, aliique iisdem erroribus insignes. Grossi. *cat. eret.* n. 27.

sti animam praeexstitisse Dei Verbo conjunctam, antequam carnem indueret (1). Praeterea Christi Domini Redemptionem valere asseruit in tantum, ut per ipsam diabolus aliquando salvus futurus sit (2). De gratiae auxiliis pessime disseruit Pelagii doctrinae praeludens; quare S. Hieronymus Pelagii doctrinam *Origenis ramusculum* merito nuncupavit (3). Ipsi tamen falso affingitur quod crediderit Christo ementitum corpus fuisse; falso, inquam, nam pluribus locis hujusmodi errorem impugnat, et in Prooemio librorum *de Principiis* haec habet: *Incarnatus est Filius Dei, cum Deus esset, et homo mansit quod Deus erat. Corpus assumpsit nostro corpori simile, eo solo differens, quod natum ex Virgine, de Spiritu Sancto est. Et quoniam hic Jesus Christus et passus est in veritate, et non per imaginem, communi hac morte vere mortuus est; vere enim a mortuis resurrexit* (4).

Quisque facile videt, haereses hactenus consideratas, dum in id sibi invicem conveniunt, ut Incarnationis dogmati quocumque modo detrectent, ad Pantheismum perducere. Qui enim duplex necessarium principium profitentur, omne inde bonum et omne

(1) S. Hierom. l. 2. *Apol. adv. Ruf.*

(2) S. Epiph. *ep. ad Jo. Hierosol.* – S. Hieron. *ep.* 59. *ad Avitum*, et alibi.

(3) *Ep. ad Ctesiphontem c.* 2.

(4) Apud Nat. Alex. *saec.* III. *c.* III. Et quod aperte erraverit, et quod pravis aliorum interpretationibus et adjectionibus corrupta fuerant ejus opera, ejus nomen confixum est anathemate, proscriptique errores Synod. Œcumen. V. an. 553. Cp. coacta.

malum derivari contendunt, et hanc duplicem emanationem in creatas res et in hominis actus extendere audent. Quid est autem assidua illa aeonum, personarum, rerum emanatio, nisi divinae substantiae extensio et divisio? Et hoc quidem per summum absurdum Valentiniani docent, de quibus Tertullianus: *Viam Ptolomaeus instravit nominibus et numeris distinctis in personales substantias, sed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipsa summa Divinitatis, ut sensus, et affectus, et motus incluserat* (1). Nonne et Montanistae ad Pantheismum perducunt? Hi namque credebant Christum et Ecclesiam nondum perfectionem attigisse, adhuc venturum esse Spiritum Sanctum, ut excellentiorem Evangelio doctrinam afferret, sicut Lege Mosaica Evangelium praestabat. Interea haec doctrina quamdam indicat processionem infiniti *inter formas et modos finiti,* inquit Nicolas (2), atque ideo Pantheismum sapit.

Sed dogma Incarnationis cum Trinitatis dogmate magnopere connectitur. Qui enim dicit *Verbum hominem factum*, confitetur caelestem Patrem mundo reconciliatum per Filium, et Filium per procedentem Spiritum homines sanctificantem. Propterea ad eumdem finem deducunt qui Trinitatis dogmati detrahunt. Dum enim negant distinctas esse Personas, easque dicunt externa nomina et temporarias Divinae *Monadis* manifestationes, quid nisi Dei extensionem

(1) *Adv. Valent. c.* 14.
(2) *Del protest. Cap.* V.

docent in Patrem, in Filium, in Spiritum, in mundum, in nosmetipsos? Verum, ad alias haeresum species progrediamur.

Post exactos Christifidelium persecutores, Constantino Magno imperante, pacem Ecclesia tandem aliquando obtinuerat, quum ex ipsius sinu quidam avulsi atrox eidem bellum indixere. Haereses enim, quas memoravimus, ad novas haereses viam sternebant; clerici ipsi et viri in conspicua dignitate constituti praecipua fidei dogmata quaestionibus subjicientes ea pertinaciter impugnabant. Coryphaeus eorum exstitit Arius, quem dogmati Incarnationis infensum ecquis nesciat? Id profecto indicant ea verba, quae in Arianae haereseos detestationem templa nostra adhuc personant: *Credo in Jesum Christum Filium Dei Unigenitum.... Deum de Deo, lumen de lumine.... Genitum non factum, consubstantialem Patri* (1). Ariani aliquam habent cum Gnosticis affinitatem, quum doctrinae divinarum et decrescentium emanationum ille subsit error, quo Filius dissimilis Patri enuntiatur.

Nestorius novum intulit haeresum ordinem, earum nempe quae mutuas utriusque naturae Christi rationes et operationes respiciunt (2). Ille finitum ab

(1) *Ex Conc. Nic.*

(2) Haec haeresis magnam cum Manichaeismo affinitatem prae se fert. Ut enim Manes, spiritus et materiae originem et conjunctionem explicare nesciens, duo contraria principia invexit; ita Nestorius, quum divinae et humanae naturae conjunctionem

infinito non distinxit sed separavit; unumque alteri non *hypostatice*, sed moraliter conjunctum dixit; uno verbo, Christum negavit esse Deum. Hinc non Dei matrem, sed matrem Christi dicendam esse Mariam Virginem; *Theophorum* autem ejus filium. Juxta Nestorium ergo nihil aliud erat Incarnatio, quam simplex τοῦ λόγου inhabitatio in Christo. Falsone, stulte, scripsit Evangelista: *Verbum caro factum est?* Audias Cirillum tua effata conterentem: *Si quis non confitetur Emmanuelem secundum veritatem esse Deum, ideoque sanctam Virginem esse Deiparam (genuit enim carnaliter carnem factum Dei Verbum) anathema sit* (1).

Eutyches alio modo Incarnationis mysterium explicandum suscepit, sed ut Nestorii errorem effugeret, in alium errorem lapsus est. Hic nempe asseruit: duas naturas utique fuisse absolute distinctas antequam Verbum homo fieret, sed post factam unionem, humanam naturam cum divina confusam adeo ab illa fuisse absorptam, ut sola divina remanserit, quae sola pro nobis passa sit atque nos redemerit. Cujus quidem insulsae doctrinae testimonium exstat tum in epistola S. Flaviani Episcopi ad S. Leonem Papam, tum in sententia Concilii Œcumenici Quarti, ubi, perlecta fidei definitione de *uno eodemque Jesu Christo Domino nostro, Deo vero et homine vero, consubstantiali*

et distinctionem in Christo non intelligeret, suam haeresim induxit.

(1) *Syn. Ephes. Anathem.* I. V. et Mansi *t.* V.

Patri secundum divinitatem, et consubstantiali nobis secundum humanitatem, Patres omnes conclamarunt: *Haec fides patrum, haec fides Apostolorum; huic omnes consentimus, ita sapimus* (1).

Praestat nunc nonnulla de iis erroribus breviter dicere, qui ab Arianorum et Eutychianorum placitis immediate promanarunt. Ab Arianis Pelagiani descendunt. Quum juxta Arium nihil aliud Christus esset nisi simplex creatura, licet eam caeteris creaturis excellentiorem fateretur, hinc facile fuit haereticis concludere, Christum nullam posse divinam gratiam pro nobis promereri. Quod quidem Pelagius inferebat docens, suis hominem viribus ad sublimiorem perfectionis gradum evehi posse, atque a peccati jugo liberari. — Si recte inspiciamus, ad ipsum finem, ac Ariani, Pelagiani tendebant. Arius Deum ab homine sejungebat, hominem a Deo Pelagius. Ille negans divinam Christi naturam, ad gratiam impugnandam progrediebatur; hic, divina gratia refutata, divinam quoque Christi naturam erat impugnaturus (2).

Ad Pelagii doctrinam refellendam, necnon haeresim eorum, qui liberum hominis arbitrium omnino tollebant, quique *Praedestinatiani* appellabantur, *Semi-pelagiani* insurrexerunt, qui parem gratiae et

(1) *Syn. Calced. Oecum.* IV. – V. et Mansi *t.* VII.

(2) Intimam autem cum *Nestoriana* haeresi haeresis Pelagiana familiaritatem habet. V. Jo. Cassian. *l.* VII. *de Incar. Christi.* Ita et Prosper *epitaph. Nestor. et Pelag. haer.*

Nestoriana lues successi Pelagianae,
Quae tamen est utero progenerata meo, etc.

libertati vim tribuebant, et licet necessariam assererent Christi gratiam ad faciendam perficiendamque justitiam, illam tamen non requirebant ad initium fidei, et ad perseverandum in eadem fide usque ad finem. Quos omnes veritatis hostes profligavit Ecclesia doctrinam tradens, qua supernaturale a naturali distinguit, divinum ab humano, gratiae actionem a libero voluntatis arbitrio.

Ab Eutychiana vero peste *Monothelitarum* error exortus est. Si enim una in Christo natura esset, quomodo ei duplex inesset voluntas? Ita ratiocinati sunt saeculo VII. Theodorus Pharanitanus, Sergius Constantinopolitanus, aliique, qui propterea *Monothelitae* appellati sunt. Ii duplicem Christi naturam profitebantur, ne sicut haeretici ab Ecclesia damnarentur; sed unam in eodem Christo Deo-virilem operationem esse dicebant (1). Merito in illos clamabat Sophronius, atque de Sergii astutia Pontificem Honorium monebat (2). Quum enim Sergius assereret humanam Christi voluntatem *passivam* esse atque divina quodammodo absorberi, consequens erat *imperfectam esse humanam Christi naturam*, quum ad perfectionem naturae propria et activa voluntatis operatio necessaria sit (3). Contra hanc haeresim Sextae Synodi Œcumenicae patres conclamant: *Duas naturales vo-*

(1) ἐνέργεια θεανδρική.

(2) V. Mansi t. XI. *ep. ad Sergium*, etc.

(3) V. Alzog I. § 124. *n.* (1) ubi illius sententia circa Honorium Pp. ab Cajetano Squitieri confutatur. (*ed.* Nap. 1856.)

luntates in Christo et duas naturales operationes indivise, inconvertibiliter, inseparabiliter, inconfuse secundum SS. Patrum doctrinam adaeque praedicamus (1).

Opus non est ut pluribus detineamur ad demonstrandum superiores haereses in dogma Incarnationis simul conspirasse, atque Pantheismi principia disseminasse. Quid nunc Apollinarem commemorem, qui corpus absque anima assumptum fuisse a Verbo dogmatizavit, ac postmodum et animam accessisse sed mente destitutam, cui proinde loco mentis esset idem Verbum? Quid Photinum Episcopum, qui haeresi Sabellianae adhaerens, Christum purum hominem esse, neque ante M. Virginem exstitisse adjecit (2)? Quid *Antropomorphitas*, qui Audaeo duce, humani corporis delineamenta Deo affingentes nullum inter finitum et infinitum discrimen faciebant? At non possum quin de quibusdam haeresibus verba faciam, quae sexto, septimo, et octavo saeculo exortae, SS. Incarnationis mysterium propius attingunt.

Ac primo quidem Monachi *Acoemetae* negarunt

(1) *Conc. Gen.* VI. *Cp.* III. *Act.* 18.

(2) Merito cl. Berti succenset Danti poetae, ex eo quod *Inferni c.* XI. dixerit infectum a Photino Anastasium Pontificem: *Anastasio papa guardo Lo qual trasse Fotin della via dritta.* Anastasium enim I., qui Photini tempore vixit, inter Sanctos veneratur Ecclesia. Insuper eumdem sibilantia hydrae haereticorum ora compescuisse scripsit S. Hieron. (*Ep. ad Princip. et Demetr.*). V. etiam *comment.* Brunonis Bianchi ad h. Dant. l. – Berti *hist. Eccl. saec.* VI. *c.* III.

unam de Trinitate personam affixam cruci fuisse, ac tali pacto Nestorio adhaeserunt (1). Contra quos Monachi Scythae hanc formulam induxerunt: *Unus de Trinitate passus est carne;* quae quidem a nonnullis Eutychiano sensu intelligi poterat, sed Catholico sensu explicata Christi veri Dei et hominis veri passionem confirmat, ideoque monachi Scythae prout catholici a Joanne II. habiti sunt.

Dein quaestio exorta est Eutychianos inter et *Acephalos* (2), num in unam coeuntibus divina et humana Christi natura, ejus corpus, perinde ac nostrum, corporalibus affectibus obnoxium esset. Quidam tale necessario fuisse asserebant, et dicti sunt *Corrupticolae;* alii negabant omnino et dicti sunt *Incorrupticolae.* Per se quisque videt hos in antiquam haeresim declinasse, qua Dominus specie tenus passum esse plures commenti sunt.

Agnoetas interea Themistius diaconus ex Acephalis in campum eduxit, effutiens ignorantiam in mentem Christi irrepere potuisse; Joannes vero Philiponus *Tritheitas,* professus in Deo sicut tres hypostases, ita tres adinveniri naturas (3). Quomodo vero

(1) Ἀκοίμητοι (insomnes), quod in eorum coenobiis nulla hora a Dei laudibus cessaretur.

(2) *Acephali,* qui neque Eutychem ducem sequebantur, neque fidei catholicae adhaerebant Calcedonensi Synodo definitae. Erant reapse *monophysitae* (Sirmond. *de trib. Capit.*)

(3) Themistius male interpretatus est quod legitur *Marc.* XIII. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque Filius, nisi Pater.*

hic Incarnationis dogmati adversatur? Rejecta Synodo Calcedonensi unam in Christo naturam cum Eutychianis asserebat: ne inde cogeretur fateri divinam naturam in tribus personis exsistentem fuisse crucifixam (ut Theopassitae docebant), tres divinas naturas effinxit, quarum una ab aliis distincta in Redemptore substiterit. Ii saeculo sexto suas haereses disseminarunt.

Praeter Monothelitas, *Christolytae* (1) asserentes Dominum, relicto in terra corpore, in sola divinitate ad caelos adscendisse; Armeni, qui haeresi Eutychiana fuerunt impliciti, aliique Christi hostes saeculo septimo eruperunt. Elipandus episcopus Toletanus, et Felix Urgelitanus, saeculo octavo, docuerunt Christum esse Filium Dei adoptivum. Quid est adoptio nisi extraneae personae in filium assumptio? Itaque qui Christum filium Dei adoptivum appellat, eum tamquam hominem habet ad divinitatis consortium elevatum. Id profecto Nestoriana haeresis docet.

Sed quasi aliquid deesset tot in Christum prolatis blasphemiis, ii insurrexerunt qui sacris Imaginibus bellum indicerent, unde *Iconomachi* et *Iconoclastae* dicti sunt. Quam nefaria decreta non solum in sanctorum effigies et Beatissimae Virginis, sed in ipsa Christi simulacra Leo Isaurus (an. 726. et 730.), atque Constantinus Copronymus (an. 754.) promulgarunt! Quam multi Catholici pro Iconum et Reli-

(1) *χριστολύται, a λύω (solvo).*

quiarum Sanctorum cultu tuendo martyrium subiere; felices admodum si haec fidei monumenta a sacrilegis manibus et flammis surripere possent (1)!

Demum praeter repullulantes haereses Theopassitarum et Iconomachorum *Praedestinatiani*, saeculo IX, Ecclesiam infestarunt, qui *electionis* et *reprobationis* decreta adstruebant, queis necessum esset praedestinatos salvari, non praedestinatos damnari. Quod quidem solummodo a divinae gratiae et ipsius Incarnationis adversariis contendi poterat (2).

Ex iis quoque haeresibus, quae alteri periodo adscripsimus, perspicuum est, eas generatim consideratas in id convenire, ut Christo aliquid indignum tribuant, aut aliquid ei proprium detrahant, atque ideo in Sacrosanctum Incarnationis dogma invehant.

Irrumpentibus undequaque haereticorum doctrinis Ecclesia, qua conciliis, qua Pontificum epistolis et SS. Patrum lucubrationibus obstitit, adeo ut Novatores qui secuti sunt nihil afferre potuerint, quod jam non fuerit ab aliis inventum et praedicatum; nullum fidei articulum impetiverint, qui jam non fuerit definitus. Si quid tamen discriminis inter antiquos recentesque errores exsistit, in eo deprehenditur, quod

(1) Perlegantur opera S. Joannis Damasceni, qui Iconomachos aliosque haereticos tam invicte profligavit.

(2) Gottescalchum hujus haereseos auctorem nonnulli faciunt, qui tamen plures clarissimosque vindices habuit, S. Prudentium, S. Rhemigium, Florum diaconum, Ratramnum monachum aliosque. V. Mabill. *An. l.* 30. et Berti *l.* 6. *de Th. discipl. c.* 14.

posteriores haeretici excusso cujuslibet auctoritatis jugo, civilia quoque negotia turbarunt, et magna exinde rei publicae mala intulere.

Mahumedanismo viam stravisse Arii, Nestorii et Eutychetis errores, praeclari Nicolas et Salzanus non dubitarunt asserere. Dum enim Incarnationis ac divinae *Maternitatis* dogma tam multi pseudo-doctores impeterent, atque divisos in Oriente fidelium animos tenerent, iis, qui fato credebant ac faeminam ludibrio habebant, fallacis religionis fundamenta ponere facile fuit. An Mahumedis religio Christo faveat, quisque cognoscit.

Porro Photianum Schisma, praeterquamquod Ecclesiae unitatem scinderet, Spiritus Sancti processionem inficiabatur, atque ex hac parte Arii doctrinam indirecte fovebat (1).

Sed ut loquamur de erroribus, qui Scholasticae Theologiae tempore invaluerunt, quique Verbi Incarnationem respiciunt, aliquid de Jo. Scoto Erigena primum dicamus. Hic, ait celeberrimus Alzog, licet magna ingenii dexteritate polleret, a gravissimis erroribus sibi cavere nescivit. Incomprehensibiles veritates explicare aggressus, proprias ac metaphoricas voces haud semper distinxit, saepius illis abusus est, atque

(1) Quamvis hic non agatur de *consubstantialitate* Spiritus Sancti, praestat cum cl. Nicolas animadvertere, haereses, quae hanc Divinam Personam afficiunt, speciem quamdam Arianismi induere.

in doctrina de Eucharistia Berengario praelusit; quin imo immediatam praebuit occasionem, ut tot alii de Deo et mundo, de mali natura, de praedestinatione disserentes errarent. Nonne in suo opere, cui titulus: *De divisione naturae*, gravem illam Religionis nostrae veritatem obliviscitur, essentialem nempe distinctionem Dei et creaturae? Nonne Trinitatem esse dicit symbolicam veritatis manifestationem, et quamdam *theophaniam*, qua Deus innotescit? Ergo hic quoque caeteris Christi inimicis et Pantheismi doctoribus adnumerandus est. (1).

Atque uti videamus quanti facienda sit haeresis quae Eucharistiam afficit, animadvertendum est, dogma Incarnationis in nobis vivificari atque subsistere ut Sacramentum. Realis Jesu Christi praesentia in Eucharistia eam nobis profecto exhibet, de qua loquimur, distinctionem finiti ab infinito; participatio vero qua fruimur hujus Sacramenti, conjunctionem finiti cum infinito, absque eorum confusione, demonstrat. Qui hujusce fidei centrum reliquerunt, ab omnium veritatum fide brevi desciverunt. A recto tramite aliquantulum digressi in Pantheismum praecipites lapsi sunt (2). Quod si excelsum hoc mysterium non abjurassent, Jesum cognovissent *in fractione panis* (3). Testem appello Berengarium, qui saeculo undecimo hujus infandae haereseos auctor

(1) Alzog T. II. § 203. - Sunt qui illum defendant. Salzanus quoque ad judicium bene de eo ferendum proclivis est.

(2) Nicolas *l. c. c.* VI.

(3) *Luc.* XXIV. 35.

exstitit, Lutheranorum atque Calvinistarum quodammodo antesignanus (1). Post illum Roscellinus tres substantias in tribus Personis docuit, atque ideo tres Deos (2). Quam quidem haeresim Incarnationis dogmati adversari, pulcherrimus ille Tractatus ostendit, quem D. Anselmus contra Roscellinum conscripsit, hoc titulo: *de Verbi Incarnatione* (3).

Horret nunc animus innumeras meminisse haereses atque sectas, quae saeculis XII. XIII. et XIV. Ecclesiam ac societatem turbarunt; *Catharos, Patarinos, Henricios, Poplicanos* et alios quos describere nimis longum esset. Ii generatim veniunt nomine *Albigensium* (4). Ebionitarum, Gnosticorum, Manichaeorum, Montanistarum, Arianorum, Nestorianorum et Eutychianorum placitis apprime imbuti, quamvis circa aliqua discordes essent, omnes in id conveniebant, ut Incarnationis dogma negarent. Ex hoc odio in Christum, ait Reinierius, *processit doctrina ipsorum et rancor* (5). Nonne trium Persona-

(1) *Transubstantiationem* ac realem Christi praesentiam in Eucharistia negavit. Ejus doctrinam et asseclas plura conc. damnarunt; i. e. Vercell., Turon., Paris., etc.

(2) *Tritheistae*, qui damnati sunt Synod. Compendii, an. 1092.

(3) Exinde Roscellinus coepit controversiam, quae jamdiu *nominales* inter et *reales* agitata est. Qua de re cit. Nicolas disserens (*c.* VI.) ostendit hinc ad *naturalismum* procedi, illinc ad *pantheismum*.

(4) Ita dicti a dioecesi Albiga in Occitania, quam primum corruperant.

(5) Apud Nicol. *n.* ad *c.* VI.

rum aequalitatem negabant? Nonne humanam Christi naturam aut non exstitisse, aut tantummodo specie tenus fuisse dicebant? Quid de Sacramentis, quibus Redemptionis fructum mortales percipere credimus? Quid de SS. Imaginum cultu et de Cruce sentiebant? Quodcumque ad Incarnationis mysterium spectaret, ludibrio habebant; *impunitatem peccati promittentes, Deum tantummodo bonum et non justum praedicabant* (1).

Dum haec Albigensium scelera publice debaccharentur, in philosophorum disciplinis, Parisiis praesertim, iidem errores serpebant. Amaurius enim Carnutensis male interpretatus haec Erigenae verba: *Omnia sunt Dei, omnia sunt Dei emanationes*, mala haereseos semina jecit. Hinc dogma Trinitatis subverti, atque adeo Patrem, Filium et Spiritum Sanctum perinde ac varias hominis periodos explicari, rejici Sacramenta, Sanctificationem in conscientia *divinae praesentiae* collocari (2). David autem *de Dinant* pantheismi placita clarius effudit, atque ex hac schola erupit secta *fratrum* et *sororum liberi spiritus*, qui et *Beguardi* in Germania, in Gallia *Turlupini*. Quidquid in mundo est, a Deo emanasse docebant, sibi illud Christi usurpantes: *Ego et Pater unum sumus* (3). Quid insulsius, quid magis impium excogitari potest? *Qui ad tantae dignitatis conscientiam deve-*

(1) *Act. Tinnières, an.* 1375; *ep.* Philippi Aug. 1211.

(2) Engelhardt *Tract. Hist. Eccl. n.* 3. – Moreri. *Grand diction.*

(3) *Jo.* X. 30.

nerit, ajebant illi, *non amplius ad sensilem mundum spectat, nullo potest peccato faedari, nullo indiget Sacramento*. Videte cognationem cum Gnosticis et Adamitis!

Abelardus, quem D. Bernardus non dubitat appellare Goliath, nonne et ipse in miserrimam incidit haeresim, quæ Incarnationi adversabatur (1)? Praeter alios errores asserebat Patrem, sive *paternitatem*, supremam esse divinitatem, quae in Filium et Spiritum Sanctum exseritur, adeo ut, si Pater persona est, aliae duae personae nullatenus esse queant. Ubinam, quaeso, mediatio inter Deum et homines interest; ubinam Verbum, quod humanam divinae naturam conjunxit? Admisso emanationis principio in ipsa Trinitate, nonne ad caetera necessario extenditur? Quae via panditur ad Pantheismum! *Ille* (Abelardus) *cum de Trinitate loquitur, sapit Arium; cum de gratia, sapit Pelagium; cum de persona Christi, sapit Nestorium* (2).

Jamque summum gloriae fastigium per D. Thomam Aquinatem catholica doctrina attigerat, quum, sic Deo permittente, extremas error vires intendit, atque in sacrum fidei depositum fallacis philosophiae et theologiae argumentis irrupit. Joannes enim Wiclephus ex Anglia, Ecclesiastica auctoritate omnino

(1) Procedit Golias procero corpore, nobili illo suo bellico apparatu circummunitus, antecedente quoque ejus armigero Arnaldo de Brixia. S. Bern. *ep.* 189. *ad Pp. Innoc.*

(2) S. Bern. *ep.* 192. *ad Mag. Guidonem.*

rejecta, contra *Transubstantiationis* dogma insurrexit, atque Pantheismi vesania correptus haec protulit effata: *Deus est quaelibet creatura in esse intelligibili; quaelibet creatura est Deus; quodvis Deus est* (1). Quid plura? Mali necessitatem et fatum adseruit, cujus potestati Deum subjici non dubitavit. Quae cum ita sint, quo pacto in Dei Filium peccati triumphatorem *Wiclephitae* credere potuerunt? Haec secta *Lollardos* progenuit, qui dicerent, daemones caelo injuste dejectos, Sanctum Michaelem et Angelos simul cum iis, qui Lollardum sequi detrectant, perpetuam damnationem obituros (2).

Joannes Hus discipulus atque haeres Wiclephi Hieronymum Pragensem doctrinae et factorum socium sibi adscivit; et absolutam hominum praedestinationem docuit, qua alii ad salutem, ad mortem alii ab aeterno designati sint. Praeterea Sacramentorum vim a ministri sanctitate pendere dixit, eaque nihil valere ab indignis collata; *Transubstantiationem* vero negavit, licet sub utraque specie sacram synaxim populo impertiendam contenderet (3). Undenam haec pestis exorta? A Manichaeis aliisve prioris periodi haereticis Albigenses, ab Albigensibus *Valdenses*, ab iis vero Wiclephitas et *Hussitas* edoctos fuisse, nemo potest inficiari. *A Valdensium renibus multi ex-*

(1) Nic. *c.* 6. - Alzog *Hist. Eccl.* T. II. § 279.

(2) Lollardus Walter Bohemus vim Sacramentorum, justitiam et proprietatem impugnabat.

(3) Facile concludit Nic. c. 6. Hussitas *Communionem* in *Communismum* immutasse.

orti fuerunt phanatici, quibus secta increvit, aut in novas alias sectas divisa est (1). Sic haereses omnes se invicem complent, atque una explicat aliam. - Verum ne nimis in longum protrahatur oratio, utrum aliae haereses in impugnando Incarnationis dogmate cum superioribus conveniant, videamus.

Postrema periodo, scilicet a XVI. Saeculi initio usque ad nos, *Protestantismus* invaluit, quem cum dicimus, non unam haeresim intelligere fas est, sed plurium haeresum cohortem (2). Nulla etenim aetas fuit unquam haereticorum errorumque feracior. Quem vero priorem commemorem inter hujusmodi haereticos nisi Martinum Lutherum? Hic (ut illud attingam quod mihi propositum fuit) ignoti auctoris librum, cui titulus *Theologia Germanica,* primum edidit, cujus in praefatione testatus est, ad latus S. Scripturae atque librorum S. Augustini hujusmodi opus collocandum esse, ex quo ipse didicerat *quid Deus esset, quid Christus, quid homo et caetera* (3). Exinde docuit post Adae peccatum exstinctum fuisse liberum voluntatis arbitrium, impossibilia esse praecepta Dei, omnia justorum opera inquinamenta esse et peccata, substantiam panis una cum corpore Christi in Eucharistia permanere, quemvis hominem sacerdotem esse. Quantam ergo Lutherus tum gratiae

(1) Guido Carmelit. *Summa haeres. Wald.*

(2) *Protestantes* inde dicti quod in Spirae Comitiis (an. 1529.) quibusdam statutis obtemperare nolle protestati sunt.

(3) Nic. *del Protest. c.* VII.

Christi tum ejus dignitati intulit contumeliam (1)! Sed multos alios video haereticos, qui invicem digladiantur.

Anabaptistarum sectam induxerunt Nicolaus Storchius, Thomas Muntzerus et Marcus Stuber. Ii totum hominem quasi divinae potentiae ludibrium existimarunt, quidquid perversum auderent veluti supernaturalem inspirationem habentes (2).

Andreas Carolstadius negabat Christum in Eucharistia inveniri, neminem fidelium *antropophagum* esse irrisorie affirmans. Zuinglius, qui religionis causa praelio occubuit, in verbis quibus Eucharistia conficitur metonymiam autumans, signum Dominici Corporis non substantiam esse propugnavit, et Missam non esse Sacrificium, sed potius Sacrificii crucis commemorationem. Insuper originale peccatum negavit, et paganorum salutem temere asseruit (3). Joannes Œcolampadius a Paulo Jovio, Erasmo et Sadoleto eruditus praedicatur, sed in eo perniciosissimus, quod, Sacrosancta Synaxi repudiata, pluri-

(1) Ejus opera, *ad Nobil. German. - De perfect. Christiana, De Servit. Babyl., De Christ. libert.* etc. passim citantur ab historicis.

(2) *Anabaptistae* appellati sunt quod baptizatos a catholicis iterum baptizandos esse contenderent quum rationis usu pollerent.

(3) Divina necessitate hominem peccare docebat; *quid enim aliud*, ajebat, *quam gehennae filium his signis deprehendimus?.. Dicant ergo Dei providentia se esse proditores ac homicidas (ep. an.* 1527.) Senecae quoque doctrinam tenebat, *Deum esse animam mundi.* (Hahn, *Dottrina di Zuinglio*).

704.

mos Zuingliana peste infecit. Hi tres haeretici *Sacramentariorum* auctores exsistunt.

Praeterea Matthias Flaccus Lutheri et Melancthonis placitis hoc addidit affine Manichaeismo, originale nempe peccatum esse animae rationalis substantiam (1). Messiam in lege promissum nondum advenisse asseruit Martinus Bucerus. Macedonii haeresim innovasse, et Anabaptistis adhaesisse dicitur Bernardinus Ochinus. Oxiander Andreas novam de Redemptione doctrinam diffundens asseruit Dominum esse humani generis reparatorem et efficientem salutis nostrae causam *secundum solam divinam naturam;* hominem vero justificari ipsa justitia, *qua Deus essentialiter justus est.* Quem contra insurgens Franciscus Stancarus asseruit Christum esse hominum redemptorem *spectata sola natura humana*, nihil ad salutem conferente divinitate personae. Medius inter praeliantes Andreas Musculus venit dicens, ita Christum esse mediatorem secundum utramque naturam, ut divinam cum humana mortuam, et hanc cum illa ubique esse contenderet. Sic haeresis haeresim procreat: sic ex arbore mala surculi multi et propagines dilatantur.

Calvinus, qui ex Lutheri et Zuinglii excessibus seipsum cohibere debuerat, cum de praedestinatione ageret, in altiorem abyssum proruit. Hanc quippe blasphemiam protulit, Deum primum hominem im-

(1) Hinc ejus asseclae *substantialistae* dicuntur.

pulisse ad peccatum, ut odii atque rigoris aliquam causam haberet: *nam res externae, quae ad excaecationem reproborum faciunt, illius irae (Dei) sunt instrumenta.* Quam sacrilegam propositionem tali pacto fulciebat: *Corruit ergo frivolum illud effugium, quod de praescientia Scholastici habent; neque enim praevideri ruinam impiorum a Domino Paulus tradit, sed ejus consilio et voluntate ordinari* (1). Omitto caetera Calvini sacrilega documenta, queis Christum verum Deum et hominem verum lacessivit, quum ea haereticis ejusdem furfuris communia sint. Solummodo animadvertendum existimo, *protestantismum* per duas vias prorsus diversas ad extremum ignominiae genus hominum pertraxisse. Hinc enim liberum hominis arbitrium pro nihilo haberi, illinc liberum cujusque rei examen institui. Juxta priorem doctrinam, hominem Deus ad nihilum redigit; per alteram vero, Deus et quidquid supra naturam exsistit humanae rationi subjicitur. Aut finitum ab infinito, aut a finito infinitum absorbetur. Utrinque Dei et hominis distinctio, et Dei cum homine conjunctio impetitur; utrinque haeresis in pantheismum relabitur.

His omnibus siquid addi oporteat, Socinianam labem consideremus, quae praeter *Antitrinitariorum* blasphemias, Ebionis quoque errorem complectitur, Christum purum hominem faciens; necnon aliorum

(1) *Comment. in Ep. ad Rom. IX,* 18. *Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat.*

706

qui de Sacramentis, de Originali peccato, et de Christi gratia pessime sentiunt (1).

Rescissa per Henricum VIII. Angliae unitate cum Romana Ecclesia, ea regio quae *Sanctorum Insula* fuerat appellata, in teterrimam quoque haeresim pertracta est, praesertim cum, Elisabetha imperante, Sanctorum cultus fuit prohibitus, in imagines bellum indictum, Missae Sacrificium abolitum, perfidi haeresiarchae inter martyres cooptati. Ex quibus apertissime patet, in ea dogmata, quae ad Incarnationem plus minusve referuntur, fuisse hac aetate atrocissime dimicatum. Obstitit huic infandae errorum phalangi Sacrosancta Synodus Tridentina, cujus sapientissimis decretis et anathematismis quaecumque profecto haereses confossae sunt.

Nihil propterea novi intulere novissimi scriptores qui haeretica nota insigniuntur: *Arminiani* Pelagium secuti (2); *Gomaristae* calvinianam praedestinationis doctrinam perhibentes (3); *Illuminati*, qui meditationum suarum vanitatem praeferebant Sacramentorum virtuti; *Metaphoristae*, qui autumarunt Jesum non fuisse revera Verbum Dei, sed quamdam Verbi metaphoricam imaginem; *Pelagini* (4), qui

(1) Ad *Unitarios* pertinent Sociniani, quia unam in Deo personam agnoscunt. Berti *Eccl. Hist. Brev. saec.* XVI. III.

(2) Ab Arminio, qui ob. an. 1609. Dicti sunt et *Remonstrantes*.

(3) Gomarus horum auctor, qui ob. an. 1641.

(4) A quodam Jac. Philippo oratorii S. Pelagiae Mediolani rectore.

praeter alia effutiebant orationem mente peractam Eucharistia digniorem esse atque Redemptione ipsa praestare. Cur et Jansenianam doctrinam, quae tantum Saeculo XVII. excitavit incendium, inter Christomachorum molimina non recenseamus? Quamvis enim in speciosis quibusdam verbis venenum lateret, et de quinque Jansenii propositionibus per biennium exagitata fuerit controversia, eas tamen post Innocentium X. (1) et Alexandrum VII. proscripsit Innocentius XII. (an. 1694.) *in sensu obvio quem verba praeseferunt.* Et hoc quidem jure, cum inter alia hanc *falsam, temerariam et scandalosam* propositionem Jansenii liber contineat: *Christum non esse mortuum pro omnibus.*

Finiti ab infinito distinctio etiam a *Quietistis* rejecta est, quum docuerint, animam non debere in aliquo opere active se gerere, omnem sollicitudinem, spem et timorem esse deponendum, adeo ut, superiori parte Deo conjuncta, quidquid in inferiori occurrat nullam maculam inducere possit (2).

Nunc praetermissis Atheis, qui exinde in Christum insurrexerunt: Benedicto Spinoza, qui aperte docuit, Deum non esse nisi materiem ubique diffusam (3); Ezechiele Meden, qui se modo Dei Verbum, modo Michaelem Archangelum appellabat, et aliis,

(1) *Const. Cum occasione impressionis libri* etc.

(2) Michael Molinos Quietistarum pater fuit, cujus effata Innoc. XI. damnavit an. 1687.

(3) *Tract. Theolog. Polit. Amstelodami* an. 1670.

videamus quinam fuerint postremi Divinae Incarnationis adversarii, atque ideo pantheismi doctores.

Recentium *philosophorum* systemata a Protestantium doctrinis originem habuisse non dubitamus (1). Kuntzen, Edelmann, Nicolai, Wolfenbüttel, Lesseing aliique theologi et professores eruperunt, qui recta fidei principia per novas ac abstrusas dicendi formas perverterent. Complures exinde libelli in lucem prodire, queis sacerdotum, regum et cujuscumque potestatis jugum excutiendum esse, rationis arbitrio standum, nullum Deum, nullum daemonem esse perfidi magistri docebant. Multi a Rousseau ad Aloysium Blanc adamitici lapsus historiam atque nostrae Redemptionis dogma omnino negarunt. Quid de Trinitatis et Incarnationis mysteriis tradit Hegeliana schola? Patrem asserit *absolutam essentiam, sive substantiam cujusque rei in seipsa consideratam.* Filium appellat *indeterminatae substantiae transformationem in realem existentiam sive universum.* Denique, *quum finiti identitatem cum infinito anima perspicit et fatetur, seque sibi aequat et complet,* id esse tradit Spiritum Sanctum, tertiam personam, spiritum humanum. Eadem schola quamdam Incarnationis speciem profitetur; verum a catholica veritate longe aberrat, quum doceat, Verbum *non in uno Christo, sed in toto simul humano genere ho-*

(1) V. Nicol. *del Protest. c.* VIII.

minem factum. In suo libro *de Jesu vita* id satis demonstrat infelicissimus Strauss (1).

Nuper et Hernestus Rénan, in suo libro *La vie de Jésus,* Evangelii testimonia aut omnino rejiciens, aut ad suum sensum mira audacia contorquens, de Christo, tamquam de simplici homine loquitur; et revelationis ac miraculorum veritati detrectat. Quid est hoc nisi antiqua haereticorum placita refrigere, et impiorum philosophemata efferre? (2).

Jam vero, quid novi, decem et octo abhinc saeculis, tumens haereseos spiritus invenire potuit? Unde bellum initum, ibi confectum est; semper enim idem Christus verus Deus et verus homo impiorum jaculis est impetitus. Hic tamen lapis, *quem reprobaverunt aedificantes* super rationis fundamento, ***hic factus est in caput anguli.*** Christus in aeternum manet (3).

Ad quem vero finem novissimi quoque errores generatim considerati perducant, ecquis ignorat? Nonne finiti et infiniti conjunctionem et distinctionem de medio tollunt? Philosophi Kant doctrina ad Pantheismum trahit. Fichte, Schelling et Hegel utpote naturali tantummodo religioni fretos ad hunc finem viam pariter stravisse, constat (4). Ii scilicet

(1) V. Nicol. *ibid.*

(2) Si vires suppetant, est in animo parvam edere historiam de Christi vita piae fidelium lectioni accomodatam.

(3) I. Petr. II. 7.

(4) V. De-Giorgio *Inst. Philos.* etc. *Vol.* II. p. 153 in *Nota.*

unum exsistere concludentes, et hominis affectiones Deo, Deique jura homini suppeditantes, Deum simul et hominem, infinitum et finitum confundere ipso suo ratiocinandi impetu coacti sunt. *Atheismus* vero et Pantheismus etsi voce differant, tamen sunt idem re; quum enim Deus sit *ens perfectissimum a creatis rebus omnino distinctum*, eum cum mundi rebus confundere, quod Pantheismus facit, idem profecto est ac ipsum penitus negare, quod audet Atheismus. Sed quocumque modo Deus ab homine refutetur, nequit homo sine aliqua Divinitatis imagine consistere: ratio se ipsa constituit perinde ac Deum (1).

Quot et quanta exinde oriantur inter homines mala, non est nostrum disserere. Si Deus et paterna Dei erga homines providentia minime creditur, hominis originem et finem quis poterit explicare? Quis mortalibus aegris spem vitae suggerat, et lapsis tribuat requiem, et caecis mentibus viam veritatis recludat? Rejecta superna luce, ex inani naturae spatio, veluti ex tenebricoso abyssi puteo infinita errorum colluvies egreditur. « *Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnae;... et de fumo putei exierunt locustae in terram... similes equis paratis in praelium... dentes earum, sicut dentes leonum... et habebant loricas ferreas: et vox alarum earum sicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum: et habebant caudas similes scorpionum: et aculei erant in caudis earum* (2).

(1) Praeteriti saeculi historia id abunde confirmat.
(2) *Apoc.* IX. 2. et *seqq.*

Interea Deum rogemus, ut cunctas haeresum formas a nostris finibus procul avertat; atque Sanctae Matri Ecclesiae semper adhaereamus, cujus judicio hoc, quantulumcumque illud sit, opus subjicimus.



Imprimatur
In Curia Episc. die 21 *Oct.* 1864.
LAURENTIUS COVI CAN. PRO-VIC. GEN.